

nihilo, & puro figmento, quia non habeat *causam ab aeterno existentem*, cujus virtute è statu rerum possibilium transire potuerit in statum rerum futurarum, quæ tamen causa alia esse non possit, quam *decretum divinum absolutum*, & in hoc punctum totam difficultatem eorum, quæ disputantur contra scientiam mediam, recidere fatetur Voetius T. 1. d. sel. p. 336. rationemque appositam in omnibus ferè paginis Vol. sui de scientiâ mediâ repetit *Trivissus*.

V.

Impingit hæc sententia I. *falsi principii, unde res futura dependere dicitur, assignatione*. Non negari potest, requiri decretum & voluntatem operandi, concurrenti, vel permittendi in DEO, ut id, quod futurum est, fieri possit, si enim DEUS concursum suum suspenderet, creatura nihil agere posset unquam, *in DEO siquidem sumus, vivimus & movemur*. Act. 17. Sed hoc est, quod concedere Reformatis nullo modo possumus, *causam, cur res futura sit, esse Decretum DEI*, & quidem *prædeterminans*, ita, ut proxima & formalis ratio, cur res hæc futura sit, dicatur esse Decretum illud divinum. Rem duobus exemplis explicabimus. DEUS Davidi optionem dedit eligendi pro lubitu certum quoddam mali pœnæ genus ex tribus, quæ repræsentavit ei Propheta Gad, elegit ille pro suâ libertate & judicio pestem, hæc electio ab æterno fuit præscita à DEO, qui quia prævidit, Davidem voluntatem suam liberrimam factâ hac trium pœnarum propositione determinaturum esse ad pestem eligendam, decrevit quoque concurrere ad electionem pestis, ut ita *non indiscriminatim saltem* decreverit, cum Davide se velle concurrere, quicquid elegerit, quatenus concursus divinus erat paratus & præsentissimus Davidi, si elegisset famem, vel gladium, sed *& in specie*, se velle concurrere ad eligendam pestem; Si jam ratio futuræ electionis pestis ab æterno prævisæ statuatur decretum divinum, quomodo potuit locum habere *optio Regi data?* annon ridicula fuisset oratio Prophetæ, *elige vel pestem, vel gladium hostis, vel famem*, sed ego jam ab æterno te prædeterminavi ad eligendam non nisi pestem? annon potuisset replicare David, frustra optionem offerri, cum DEUS jam decreverit, quale genus mali ei immis-